

בשם אלהים

EXERCITIUM PHILOLOGICUM,  
De

POENIS  
CAPITALIBUS,

Hebr. Ordinariis.

Quod

Ex consensu Ampliff. Facult. Philos.  
Aboensis.

PRÆSIDE

*Admodum Reverendo & Celeberrimo,*

**DN. M. DAVIDE LUNDI**

Orient. Ling. Professore Ordinario,  
Præceptore ac Promotore sem-  
per suspiciendo

*Æquis bonisque omnibus examinandum  
proponit*

**CHRISTOPHORUS Bonstorff/P.F.**  
Ostro-Bothn.

*In Auditorio Maximo, d. 10. Junji,*

*Anno 1696.*

---

Exc. apud JOH. LAUR. WALLIUM.

*Mons<sup>r</sup> G. Cayan<sup>s</sup>.*

*Reverendissimo*

IN CHRISTO

*Patri ac Domino,*

DN. JOHANNI

GEZELIO,

S. S. Theol. Doctori

Consummatissimo, incluzæ Dicc-

cessus Aboënsis EPISCOPO EMI-


nentissimo, Regiæ Academiæ

PRO-CANCELLARIO Permagnifico,

Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI

Gravissimo, Mæcenati

Summo.

uod foetum hunc ingenioli,  
parum venusto colore, ni-  
misque incomtum, Ma-  
gnifici Vestri, Pater Reverendis-  
sime, nominis fulgore illustriorem  
reddiderim, est cujus veniam pre-  
cor devote: Neque enim cæco  
quodam impetu raptus, eò deve-  
ctus sum audaciæ, verum véné-  
ratio demissa, omne, ceu decet,  
heic fert punctum. Benigna itaq;  
quemadmodum solet, pagellas has  
Reverendissima Vestra Paternitas  
adspiciat facie, benignosque in cli-  
entem humilimum nunquam non  
spargi faciat radios.

*Reverendissimi Nominis Vestri*

cultor devotissimus humilimusq;  
sic vovet

CHRIST: WENSTERFF.

*Viris Plur. Reverendis, Clarissimisqve  
Dominis*

**DN. JACOBO FROSTERO,**  
Pastori Uhloens. ac circumjacentium  
Paræciarum Præp. meritissimo.

**DN. JOHANNI TUDERO,**  
Pastori ac Præp. in **Kemi** vigilan-  
tissimo.

**DN. M. CHRISTOPH. ALANO,**  
Scholæ Uhl. Rect. fidelissimo, Pastori  
ritè in **Jjo** designato.

**DN. M. LAURENTIO FORBUS**  
Scholæ ibid. Con-Rect. laudatiss: Pastori  
in **Sijstajoti** itidem ritè designato.

**DN. JOHANNI FORBUS /**  
Verbi Divini Ministro Uhl. bene  
merito.

*Promotoribus, Benefactoribus, & quondam  
Præceptoribus probatissimis, multis  
nominibus semper colendis.*

Exercitium hoc Academicum, offi-  
ciosa mente, ac manu cum omni  
prosperitatis voto offert

**CHRISTOPH: Wonsorff.**

JUVENI

*Pereximio & Præstantissimo,*

DN. CHRISTOPHORO  
BONDORSI/

Non minus ob constantiam &  
vitæ rectitudinem, quam literarum ele-  
gantiam comendabili multum, Amico  
meo dilecto sincerè, defensuro in præ-  
sentia opellam, de suppliciis ca-  
pitalibus Judæorum vete-  
rum,

*doctè concinnatam*

**A**ΙΕΝ ΑΡΙΣΤΕΥΕΙΝ, ΑΡΕΤῆ ΤΕ ΛΟΓΩ ΤΕ Χ' ΕΠΕ-  
ΘΑΙ,  
ΜΗΣΩΝ ΕΝ ΜΕΓΑΡΟΙΣΙ ΤΕ ΚΥΔΑΛΙΜΟΙΣΙ ΜΕΓ-  
ΧΕΑΣ,  
ΤῆΤ' ὁ μὲν ἔρδειν ἀνδρῶν ὀπλοτέρων Φρίνες  
εἰεῖ

ὁ

Οὐκ εἰώθασιν ; ἢ ῥα γέρας δώσει εἰς τέκνω.  
Φίλτατό μοι ΒΩΝΣΤΟΡΦ, γηθήσεις ἐννεκα  
τῆς

Καί γε σὺ θήκας ἐσθλὸν αἰεὶ, μὴ ἔποτε  
Φλάυρα.

Σεμνὸν ἔρωτ' ἀρετῆς ἐφύλαξας, θ' ὄπλον  
ἄριστον,

Παιδείαν τ' ἐκίχηςας θησαύρισμα βροτῶσι.  
Κλειθὸν σὺν Καμάτῃ, ἀρετὴν πότιον ὡς μεγ  
ὄφελλει.

Ἐπράχθη τὰ μέγιστα καὶ εἰς πύθον ἦλθες  
ἐταῖρε

Ποίνην ἄρτι νοεῖς, κακὸν αὐτῆς ὄφρα σὺ  
Φεύξης

Τόγδε γέρας λήψη, ὃ σοι ὑψιμέδων θεὸς  
λέσει!

*adpraudebat*

DAVID ΡΙΟΥΣ.

MEM-



## MEMBRUM GENERALIUS.

### THESIS I.

**R**epublica, si à motibus eam labefactantibus tuta esse velit, id in ea observatione dignum cumprimis videtur, ut rectè factis præmia, peccatisque sua extent supplicia. Nam ceu illam, quæ cuivis facultatem impune agendi quod vult, permittit, funestis videmus obnoxiam esse casibus atque motibus; ita ex adverso certum est florere illam, præstantissimosque in illa gente reperiri viros, quæ virtutem præmiis ornat, adq̃ salutem publicam, pœnas & supplicia moderatur. Manifestum hoc fit ex eo, quia omnia honesta tum aggressuri sunt homines, cum magnis conatibus ma-

A

gni

gni referuntur honores; quemadmodum & homines ad mala perpetranda proni, pœnis deterrentur à facinoribus enormibus. Nihil itaque magis Reipublicæ interest, quam improbos pœnarum formidine coërcere, ea enim ratione, legum authoritas, quæ absque hoc si esset, minueretur, refrigereretur, & justitia atque tranquillitas, quæ turbarentur & convellerentur, optimè conservantur. Resultat illud ex eo, quia naturam humanam ita comparatam videt quivis post lapsum, æqua eam pensitans lance, ut potius metui, quam pudori maxima hominum obtemperet pars. *Nam etiamsi dentur homines animo ita modesto, ut ne impunitate quidem, alios violare velint, plures tamen sunt, quos mala efficacius movent, quam bona, quosque magis metus imminentis mali, quam virtutis amor in obsequio retinet.* Cum ergo hoc ita sit, & non hisce temporibus tantum eò dementiæ hominum devec̄ta fit indoles, sed & antiquitus jam, plures metu quam pudore se regi passi sint; ideo pra-



pravis istis cupidinibus retundendis, DEUS Summus, jam in Veteri fœdere remedium applicuit commodum, leges videlicet atque statuta, quæ quid agendum, quidve omittendum fuerit, dictitant, pœnas delinquentibus determinant, atque probos â pravorum insultibus atq; impetu tutos præstant, â quibus tanquam agni â lupis alias vexarentur.

TH. II.

Genti autem Ebrææ, cujus peculiarem DEUS egit curam, hoc in puncto etiam paternè voluit prospectum. Ut itaq; probis â malorum irruptionibus tutis esse licuisset. semper populum istum lege sua Divina suffultum egregiè docuit, ut legis transgressores dignas flagitiis luerent pœnas. Ipsos quoque Doctores Hebræos, progressu temporis in capitales & non capitales, pro ratione delicti, distinxisse pœnas constat. Non capitales vocabant, quum ob delictum minus atrox, non poterat quisquam capite plecti, ideoque in cu-

stodia publica detineri eum, aut in exilium pelli, aut flagellari, aut ex communione Ecclesiæ detrudi, necessum erat. Harum autem enarratione lubens supersedeo, & ad supplicia eorum capitalia explicanda me accingam; interim rogans te B, L. velis hæc omnia, quamvis ad eruditum tuum palatum non sint composita, ex æquitate tua & moderatione animi benignè interpretari.

## TH. III.

Supplicia apud judæos ordinaria & quidem capitalia in usu fuisse quatuor ex omnium Philologorum uno ore loquentium scriptis colligi potest; adeo ut ex iis primum locum sibi vendicet סקילוי Lapidatio, utpote gravissimum genus supplicii; licet dubitatum fuerit inter Rabbinos, utrum supplicium, lapidatio, an ustio, gravius esset, sed quod ipsos inter decisum, ut ex *Coecej. Sanhed. cap. 9. §. 3.* patet, quod lapidatio sit. Secundum locum obtinet שרופי combustio. Tertium

tium הריגה, Decollatio, & quartum de-  
 nique תְּהַקֵּן. strangulatio. Sed antequam  
 ad singulorum tractationem pedem pro-  
 movemus, è re nostra fore arbitramur,  
 si pauca quæ in genere circa hæc sup-  
 plicia capitalia sunt observandæ præmi-  
 serimus, facilius deinde in specialiori-  
 bus progressuri.

TH. IV.

Primo itaque dubium quoddam  
 dispiciemus circa hoc: *utrum Judæis tem-  
 pore eo, quo crucifigebatur Salvator noster fu-  
 erit permissum jus vita & necis?* Clariss.  
 Godwinus in *Mose suo & Aarone* pugnat  
 pro affirmativa, objectionemque ex  
 cap. Joh. 18. ubi judæi profitentur, po-  
 testatem occidendi aliquem, sibi esse a-  
 dentam: ἡμῖν ἔκ ἐξουσίας ἀποκτείναι ἄνθρωπον,  
 hoc pacto solvit, quod temporis sancti-  
 tas, jusserit ipsos dicere: ἔκ ἐξουσίας ἀπο-  
 κτείναι, scilicet cum duxerint illicitum  
 esse diebus τῆς παρεοσιουῆς confidere &  
 judicare causas capitales. Dies autem  
 Veneris, quo noster Salvator in crucem  
 erat actus Parasceve fuerit sabbathi. Di-

stingvit quoque idem *Godwinus* inter crimina, quædamque eorum arietare ait legem Romanam, ut sunt *furtum, cædes, rapina, &c.* quædam etiam maleficia esse contra legem Mosis. Illa itaque judicandi potestatem asserit judæis esse ereptam, hæc autem judicare licuisse. Verum (pace doctissimi viri dixerim) non est quod excipiatur potestatem condemnandi ipsis non fuisse licitam, ob temporis sanctitatem, & τὴν ἁγιοσχευήν. Nam qui, cedo, factum est, quod consilium πρεσβύτεροι in *Parfœve manè*, ceu constat ex Matth. 27. An tantum eam ob causam, ut Judæi Christum condemnarent, Pilato autem tanquam crudelitatis suæ ministro uterentur? Sane si doctor refractarius etiam *in festo* prout ex *Sanbed.* c. 10. luculentum est, interfici debuit, quomodo, quæso, nunc adeo suæ temperassent indoli Judæi; impetu plane horrido in perniciem Sanctissimi JESU ruenti? Quod vero Pilatus dixit Judæis: λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρεῖνατε αὐτὸν Joh. 18. 31. id ita non est intelligendum

dum, quasi concesserit ipsis potestatem interficiendi JESUM, sed quod sua ἀυθουία quam Romani ipsis reliquerant, utendi saltem licentiam dederit. Patet id ex responsione Judæorum: ἡμῶν ἐκ ἕξεσιν ἀποκτείναι ἐδέξα. ἢ e. ut Reitzius in notis ad Godwin. explicat. *Tu das nobis potestatem jure nostræ legis utendi, at si ille puniendus est secundum legem nostram, interficiendus erit, seductor enim populi est, nobis autem non licet interficere quemquam. Imo nec quidquam quispiam vel eo obtinebit, quod Pilatus dixit: λάβετε αὐτὸν καὶ σταυρώσατε. Utpote cum Pilatus Judæis suum σταύρωσον σταύρωσον crucitantibus, ira in eos accensus regesserit: accipite ergo eum vos ipsi, & crucifigite. Hunc esse sensum verborum patet ex responsione Judæorum clamantium: ἡμεῖς νόμον ἔχομεν καὶ κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν ὀφείλει ἀποθανεῖν Joh. 19. vers. 7. quasi dicerent: Pilate succensere nobis noli, quod adeo urgeamus necem istius hominis. Seductores enim & blasphemæ, nostra lege interficiendi sunt.*

Dei iram in nostram regionem irritaremus, si ille superstes relinqueretur (en procacia verba judæorum) propterea communis salutis amantes, ut *ſ* legis Divinæ, petimus, crucifigas eum. κρῆς Φύγελον quoddam videtur sententiæ adversæ ex lapidatione Stephani & Pauli, subvenire: verum, ut habet Doctor Gerhardus ( vah quantæ dignationis Theologus) rectè responderetur, id factum esse non post legitimam causæ cognitionem, & certò judicii ordine; sed cæco quodam populi furore atqve impetu, ceu id elucet ex, Act. 7.54. ubi dicitur: quod διεπρίουλο ταῖς καρδίαις αὐτῶν καὶ ἔβρουχον τὰς ὀφθαλμοὺς & v.57. κρᾶξάντες δὲ φωνῇ μεγάλῃ, συνέχον τὰ ὦτα αὐτῶν καὶ ὤρμησαν ὁμοθυμαδὸν ἐπ' αὐτοὺς. Pientissimus idem Dn.D.Gerhard. ait quendam ex eo colligere, quod Christus à Pontificibus fuerat factus reus, Judæos jus capitalis supplicii irrogandi adhuc habuisse; sed, ut monet, Theol. Nominatissimus, distingvendum est inter cognitionem & executionem, cognitio adhuc penes Judæos mansit, sed ultimam sententiam exequen-

qvendi jus non habuerunt. Qvemadmodum ipsi insuper in suo Talmude fatentur, judicia capitalia à se esse ablata, & hoc quidem argumentum est invictum egregiumque. Etenim ceu progenies ista, gloriæ est tenax quam maxime, ita nec hoc, ita simpliciter passura fuisset, si confessio illa ullatenus limitari restringique potuisset.

TH. V.

Prætera sese nobis offerunt considerandas, ceremoniæ in suppliciis capitalibus adhibitæ, quæ vel circa, vel etiam ante ea, observabantur. Explicabimus itaque eas, prout explanatas habemus à Doctoribus *Φιλολογωπέποις*. Prima omnium præcedere debuit *deliberatio matura*. Tenebantur enim iudices deliberare & pandectas consulere sacras, antequam quicquam in re ardua propriis adgredi auderent viribus. Et licet omnibus quidem in causis iudices deliberatione usi fuerint, præcipua tamen ejus habebatur ratio in judiciis capitalibus: quemadmodum de Mose testatur

Clariff. Dn. Leusdenius in Philol. suo Hebræo Mixto disert. 47. pag. 323. eum os consuluisse DEI in rebus difficilibus tam pecuniariis quam capitalibus; hoc tamen cum discrimine, ut in iis celerius suam pronunciaret sententiam, in his vero longiori uteretur deliberatione. Itaq; ex his iudiciis patet Judices debere esse promptos in iudiciis pecuniarum, in animarum autem iudiciis tardiores, tantoq; magis eis convenire, ut non præcipitanter & absqve deliberatione judicent quemquam, *nec os suum ante aures præmittant*; quanto certius id ex pagina quoque Sacra patet, Mosen oraculum consuluisse Divinum, anteqvam in re dubia quicquam definiverit. *Deliberationem* hujusmodi excipiebat *communis processus*, qui cum omnibus supplicii capitalis reis talis ferè erat: (a) Rei coram Judicibus jam accusati constituebantur in loco eminentiori; & quidem eam ob causam, ut exinde & audiri & conspici possent ab omnibus; testes etiam accusantes è regione collocabantur.

Fun-



Fundamentum hujus rei producitur ex  
 1. Reg. 21. v. 9, & 10. הָשִׁיבוּ אֶת־נָבוֹת בְּרֵאשִׁית אֲנָשֵׁי  
 כְּרִשְׁתּוֹ : וְהָשִׁיבוּ שְׁנַיִם אֲנָשִׁים :  
 Collocate Nabothū in principiis populi. Et collocate duos  
 homines nequam, ex adverso ejus, qui  
 testificentur contra eum. Hunc morem  
 adhuc obtineri in Anglia docet Jo. Hen-  
 rici Otto in Lexico Rabbinico Philolo-  
 gico pag. 621. (β) Manus suas capiti-  
 bus criminis convictorum imponere so-  
 lebant judices & testes, dicendo : *Sanguis*  
*tuus sit super caput tuum.* Videtur id tum  
 quoque fuisse observatum, cum Salvator  
 noster Christus ab impiissimis damna-  
 tus fuit Pharisæis, exclamabatur quippe  
 etiam tunc : τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς, καὶ  
 ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν. (γ) Damnatus cum  
 ad locum supplicii ducebatur, præibat  
 Præco quidam atque clamabat : *Prodit*  
*hic N. N. lapidandus, decollandus vel stran-*  
*gulandus, &c. ob culpam hanc illamve, testes*  
*ejus sunt N. N. & N. N. quicumque eum in-*  
*fontem docere potest, accedat, & rationes suas*  
*exponat. vid. D. Pfeiff. Antiq. Ebraic. p. 12. §. 2.*

Ratio hujus exclamationis est hæc, factumq; hoc est ideo ut si quis fuisset inventus, qui defensionem damnati in se suscipere voluisset, is tum potuisset prodire; aliquoties enim ideo reducebatur ad Judices ulterius in causam ejus inquituros. Peractum autem id hoc modo, ut quidam ad ostium curiæ staret, sudarium manu gestans, quidam etiam eqvo insideret, in eum finem, scilicet, ut si quis damnatum vellet defendere, iste sudarium quateret, eqves autem damnatum celeri retraheret cursu. Sed etiam si nullus exstiterit qui damnatum doceret infontem, ipse nihilominus reus, si aliquid pro sua innocentia afferre volebat, bis reducebatur, quin imò, si aliquid solidi ipse proferre potuerat, quater vel quinque Judicibus sistebatur, antequam ad locum supplicii pœnis jamjam afficiendus ducebatur. Hic autem locus non intra, sed extra muros erat situs, quod ex lapidatione Stephani innotescit cuiusvis, quia ex urbe is fuit ejectus, ibique lapidibus obrutus. Act. 7. Puniebatur au-

autem reus extra muros duas ob causas. (1) ne cædibus delectari Senatus videretur. (2) ut defensionem rei suscepturus, sciret tum tempus adesse liberandi. (δ) Ut cum nulla species innocentia reliqua esset, reus cum adhuc decem cubitibus à loco supplicii abesset, peccata sua confiteretur, ceu id probare nituntur ex Josv. cap. 7. versiculo 19.

בני שׁוֹם נָתַן כְּבוֹד לַיהוָה אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל  
וְהָתַן לוֹ תוֹדָה וְהִגִּיד נָתַן לִי מִדָּה עֲשׂוּרָה  
אל. תכחד ממני. h. e. Fili mi, tribue nunc gloriam Jehovæ DEO Israëlis, & ede ei confessionem, & enuncia nunc mihi, quid feceris, ne celes me. Si vero nesciebat confiteri; jubebatur dicere: *mors mea sit expiationi, pro omnibus peccatis meis*: Sed si scivit se testium mendacio adgravatum, tum addebat hæc sequentia: *excepto hoc uno crimine*. licet necessariam duxere hanc confessionem, non tamen unquam aliquem ex propria confessione esse occisum notat Leusd. in citat. dissertat. (ε) Hac confessione peracta dabatur ei vinum amarum, ut li-

qvet ex tract. Maimonid. in *sanhed:* ei qui  
 ducitur ad mortem præbetur granum thuris  
 in poculo vini ut alienetur mens ejus, & ille  
 turbaretur, ut pœnam minus sentiret. Moris  
 istius originem deducunt Rabbinæ ex  
 Proverb. 31. cap. vers. 6. תנו שכר לאוֹבֵד  
 וְיִין לַמְרוֹבֵשׁ h. e. date potum inebrian-  
 tem perituro, & vinum amaris animo.  
 Quod institutum servare voluerunt Judæi  
 etiam, in condemnando Christo, cui,  
 ut Marcus 15. v. 23. ait Judæi dederunt  
 οἶνον ἐσμυρνισμένον, *vinum myrratum* ( ? )  
 Hæc cum ita omnia in antecessum obser-  
 vata sunt, applicabant manus ipsi exe-  
 cutioni, quæ in quovis supplicii genere,  
 ita peragi solebat, ut in sequentibus au-  
 diemus. Id tantum hic ultra notandum,  
 quod omnia instrumenta, quibus vita  
 alicui adimebatur, igni data sint ali-  
 mento, idque ob hanc rationem, videli-  
 cet ne quis occasionem haberet inge-  
 minandi: *hic est gladius, quo ille decollatus,*  
*hæc est arbor cui ille fuit alligatus: hoc lin-*  
*teum quo ille strangulatus.* vid Philog. passim.  
 Thef.

# MEMBRUM SPECIALIUS.

## THESIS I.

**N**ae generalia hæc proluxè tradendo, ipsam materiam negligamus, deveniendum jam est ad specialiora, & quidem primum respiciendum ad processum lapidationis, Ebraicè סקילה vel סקול dictæ vid. Lex. Talmud. Buxtoff. Quæ supra in genere notavimus, eorum heic iam renovanda memoria, scilicet, ceu reum quemvis ex urbe eductum, sua oportebat confiteri peccata; ita lapidationi quoque destinatus, cum adhuc decem à loco lapidationis abesset cubitis, sua tenebatur in lucem proferre crimina; cumque eo deveniebatur ut non nisi quatuor ad locum lapidationis superessent cubiti, vestes ei detrahi solebant, ita tamen, ut tegeretur obscœnitas utriusque sexus, licet quodam cum discrimine, quanquam viros etiam palam nudos lapidibus obrui potuisse, secundum sapientes Hebræorum perhibeat Joh.

Joh. Otto in lexico Rabbin. Philolog. De loco notant doctores Philologi quod altitudine exæquavit geminam hominis longitudinem, ex eo autem revinctis manibus reus, ab alterutro testium, detrudebatur, ut insupinus caderet; si hoc casu non moreretur, testes lapidem sublatum, *parem robori duorum virorum ut ait Godwinus* in pectus imminitebant. Sin & hic ictus frustraretur eventum, à toto Israële lapidibus obrui necessum erat, ceu hoc probatum volunt ex Deutr. 17. 7. יד העדים תהיה בו בראשונה להמיתו כל העם hoc, est: manus testium primum esto contra eum, ut morte afficiant eum, & deinceps manus totius populi. Hinc sententiam R. Akibæ *testatur Godwin.* in genere receptam, quod neci addicti ad festum aliquod commune custodiri debuerint, quo in urbem sanctam tota Israelis multitudo conflueret. Hac ratione cum peracta esset lapiditatio, ad augendam ignominiam, suspendi plerumque solebant lapidati, præcipue blasphemi & idololatræ. Fieri.

Fieri autem hoc suspendium ita voluerunt ut mares faciem obverterent populo, mulieres vero ad arborem conversæ essent, quæ suspensio non caput sed manus strinxit, nec diuturna fuit, cum, sole ad occasum vergente, vel in puncto quasi occasus, & ligabatur, & solvebatur, ad satisfaciendum præcepto, quod sibi datum existimant Deutr. 21. v. 21. 22. 23. Ultra observandum quod lapidati non fuerint sepulti in sepulcris majorum suorum, *fuerunt quippe duo à Senatu constituta Sepulchra, unum pro lapidatis & ustis, alterum vero pro interemptis gladio & laqueo* Leusd. Phil. Ebr. Mixt.

TH. II.

In tractatione horum suppliciorum juvabit notare differentiam maleficorum quos Judæi cuique adjudicant supplicio. Contemplabimur autem hac thesi eos qui lapidationis pœna plectebantur, prout videlicet eos descriptos habemus à Philologis. Ita autem Leus-

C

de-

denius: lapidibus obruuntur 1. qui rem habuerat cum matre. 2. cum uxore patris sui. 3. cum nuru, 4. cum mare. 5. cum jumento. 6. Mulier que jumentum admisit 7. Blasphemus. 8. Idololatra. 9. qui dedit de semine suo Molocho. 10. Pytho, qui loquitur ex axillis suis. 11. Hariolus qui loquitur ore suo. 12. Profanator Sabbathi. 13. qui maledicit patri aut matri. 14. qui violat puellam desponsatam. 15. Seducens privatim ad Idololatriam. 16. Seducens publicè ad eandem. 17. Magus. 18. Filius contumax & rebellis; de hisce singulis agere non interest, aliqua tamen notabimus. Ex Leusdenii recensione hac maleficorum lapidandorum, constat etiam lapidationis pœnam esse subeundam Idololatriis: tenendum autem hac in re id, quod si quis errore Idolum coluerat, sacrificium expiationis offerre debuit, si vero sciens volensque cultum suum Idolo detulerat aliquis, atq; salutaverit ipsum his verbis *אֱלֹהֵי אֲבוֹתַי* tu DEUS Meus, tum omnino lapidationis reus erat, vid. Lex. Jo. Otton. Rabb. Phil.



Patet quoque eum esse lapidandum, qui de femine suo dederit Molocho. Hæc autem observat *idem Otto* qui Molocho semen suum dat, non fieri lapidationis reum, nisi & per ignem traduxerit. De *Pythone* id notant Philologi quod sit talis, qui accipit cranium hominis mortui, ei que suffitum facit, postea quærit ex eo futura, & cranium illud respondet voce, quasi ex axillis prodeunte, per spiritum videlicet arte magica in cranium inductum. *Filius immorigerus atque rebellis* lapidatione puniendus non ante censebatur, quam ad ætatem pervenerat justam, scilicet quando duos pilos produxerat, barbaque fuerat vestitus; si minam dimidiatam carnis comedere valuerat, vini que Italici bibere sextarium dimidiatum. Requirebatur etiam ad id voluntas utriusque parentis, alterutro enim parente nolente, filius non dicebatur immorigerus; imo nec tum, si alteruter parentum mancus fuerat vel claudus, cæcus aut furcus.

## TH. III.

Constat quidem ex verbis jamjam adductis Leusdenii, adulterii pœnam fuisse lapidationem, huic tamen sententiæ obstare videtur id, quod *cap. 10. Sanhedr.* strangulatione plexi dicuntur adulteri. Sciendum, ergo hic adulteros plexos esse lapidatione & strangulatione pro ratione circumstantiarum ut ait Pfeifferus. Alii aliter hæc conciliant scilicet adulterium inter eos committi potuisse aut in muliere, quæ filia Sacerdotis non erat, eaque aut nupta, aut tantum desponsata, aut etiam in filia Sacerdotis sive nupta, sive desponsata. Ad prioris generis fœminas quod adtinet, scilicet aut nuptam, aut viduam desponsatam, eas strangulatione punitas contendunt ex *Levit. 20:10.* & *Deutr. 22. 22.* verba sunt: *Omnino morientur ambo, vir, qui cubuit cum muliere, & mulier ipsa.* Jam Regula habet Hebræorum: *Omne supplicium quod in lege non specificatur, (ut in locis adulterii) strangulatio est.* Nam *ubicunq;* *supplicium in lege speci-*

*specificatur, non debes id trahere ad gravius, sed ad levius.* Et quoniam strangulatio supplicium iis est levissimum, hinc quia in locis citatis indeterminate positum est, strangulatio in iis intelligenda censetur. Sin vero virgo, quæ Sacerdotis non sit filia, desponsata fuerit, necdum nupta, lapidationis pœna utriq; in lege injungitur confer cap.22. Deut. & v.23. 24. Quod autem spectat adulteram quæ Sacerdotis sit filia, ipsa ad præscriptum legis divinæ comburenda erat Lev.21. v.9.

בת איש כהן כי תחל לזנות את - אביה  
 ויהי מחללת באש תשרף i. e. filia ali-  
 cujus Sacerdotis, cum profanaverit se  
 scortando; patrem suum profanat, igne  
 comburitor. Adulterum autem stran-  
 gulationi adjudicabant Judæi, siquidem  
 nullum singulare mortis genus præ-  
 scriptum fuit, idque per rationem antea  
 adhibitam. Hinc cernitur, quod simpli-  
 citer de lapidatione id intelligendum sit  
 quod Pharisæi dicunt Christo Joh. 8.

Διδάσκαλε, αὕτη ἡ γυνὴ κατείληψεν ἑαυτὴν  
 φάρω μοιχευομένη. Ἐν δὲ τῷ νόμῳ Μωσῆς ἡ-  
 μῶν

μὴν ἐνεείλατο τὰς ποιάντας λιθοβολεῖσθαι.  
 Scilicet de adultera quæ Sacerdotem  
 non agnoscat genitorem, desponsata,  
 necdum nupta capiendum esse. Et  
 hinc id liquet quod adultera desponsata,  
 quæ lapidata est, majori digna fuerit  
 pœna, quam adultera nupta, quæ stran-  
 gulabatur (lapidatio enim major stran-  
 gulatione) ratio est, quia amor nuper de-  
 sponsatarum est recens, ideoq̄ fervidi-  
 or: nuptarum vero præcipue inter Judæ-  
 os, qui ob levissimam quamque causam  
 suas dimittebant uxores, amor erat lan-  
 guidior, cumque tempore decreſcebat.

#### TH. IV.

Jam transitum facimus ad descri-  
 bendum alterum supplicium capitale,  
 quod Ebræis אֶשְׁתִּיב, combustio, dicitur;  
 illam duplicem in usu fuisse apud He-  
 bræos constat, aliam corporis ustionem,  
 animæ aliam dictam. Illa, qua appo-  
 sitis lignis comburebatur reus, ut notat  
 Rab. Levi, quemadmodum non tam u-  
 si-

fitata fuit, ac hæc altera animæ, ita parcius sistitur. Posterioris hujus modus à multis eorum Scriptoribus solus summaque cura memoratur. Prout itaque a Philologis accepimus sic & descriptam pœnam combustionis dabimus: imprimis damnatus fimo ad genua usque immergebatur, colloque ejus circumdabatur linteum durum molli involutum, quod testes à duobus extremis in diversa trahebant, idque tamdiu quam aperiretur os damnati, ut dein פתילה, sicut vocant Talmudici plumbum, & stannum liquefactum, facilius in os ejus ingeri posset, quod descendens in viscera damnati ipsum enecabat, & cremabat, corpore manente extrinsecus illæso. Et licet in ipso actu strangulationis damnatus diem obiret supremum, nondum tamen legem impletum iri rati, facinorosi os ferro aperuerunt infuderuntque metallum liquefactum, & sic tandem præcepto Ustionis satisfactum esse existimabant.

## TH. V.

Damnati qui pœnam combustio-  
 nis promeruerant recensentur in *Lexic.*  
*Ottom. Rabbin Philol.* hoc modo: 1. Sa-  
 cerdotis filia quæ scortata 2. qui concumbit  
 cum propria sua filia 3. Cum filia filix sue  
 4. cum filia filii sui 5. cum filia uxoris.  
 6. cum filia filii ejus 7. cum filia filix ejus.  
 8. cum socru sua 9. cum matre socrus 10.  
 cum matre soceri.

## TH. VI.

Ordine jam sequitur tertium &  
 quidem ordinarium supplicium quod  
 הריגה occisio sive decollatio vocatur,  
 duplici & hæc fiebat modo; *primum*  
*modum* talem fuisse patet: tenebatur  
 reus sese in genua demittere ac præ-  
 bere collum carnifici, qui caput rota-  
 bat ense, nervos venasque secando, os-  
 saque nodosa frangendo, sicut traditur  
*in Sanhedr. cap. 7. Præscindebant caput*  
*gladio, juxta processum Regium.* Secundus  
 autem modus sic peragebatur: impo-  
 nebatur caput trunco, & securi am-  
 pu-

putabatur collum. Ita Rabbi Jehuda allegante Pfeiff. imponebant caput trunco & securi præscindebant. Uter autem horum modorum fuerit cum minori infamiâ conjunctus patet ( præterquam quod Philologi etiam inter Hebræos, ostendant necem securi factam fuisse turpiorem ) exinde quoque quod securi & non gladio decollari, turpius esse genus mortis, in patria nostra censeatur; imo apud Romanos idem usu venisse clarum est ex Bassiano Cæsare qui valde increpuit eos, qui Papinianum securi decollassent, quod gladio factum oportuerat. teste Kippingio in *Antiq. Rom. ex Spartiano*. Interim licet post tempora Augusti, gladii usus fuerit frequentior & honoratior, fuisse tamen etiam securis usum apud Romanos constat. Testatur Florus idem de Liburnis: *legatos quippe nostros, ob ea quæ deliquerant, jure agentes, nec gladio quidem, sed ut victimas securi percussit. lib. 2. cap. 5.* Sed ne ab instituto longius in describendis suppliciis aliorum divagemur, sufficiet illa tantum verbo annotaf-

se. Revertimur ergo ad propositum, & thesi sequenti reos decollationis exhibebimus.

TH. VII.

Ceu nobis eam methodum servandam proposuimus, ut modo supplicii demonstrato, reos ad supplicium damnatos subjungeremus; ita jam dabitur catalogum decollationi destinatorum; inter quos *Leusden. 1. homicidam esse ait qui proximum suum percussit lapide, ferrove, vel eundem aquæ immerfit unde exire nequit, vel in ignem intrusit ut inde exire non possit, ac moriatur. 2. Incolas urbis ad idololatriam prolapsos.* Adhibet sæpius nominatus Leusdenius quasdam observationes, quibus perpensis & observatis liber à decollatione censebatur is qui accusabatur: *si quis alium in aquam, aut ignem impulerit ut inde exire potuisset, ille non censetur homicida.* Deinde *si quis in animo habuerit ferire bestiam, atque interemerit hominem, sive peregrinum, & interfecerit Israelitam, sive Apostatam & occiderit filium fœderis*



*deris, liber est ex sententia Judæorum. Præterea si intenderit femur cujuspiam percutere, ubi ictus letalis non fuisset, & telum pectori inciderit, lethalem plagam fecerit, mortuusque ea plaga fuerit, itidem liber censetur.*

TH. VIII.

Supereft ut agamus de quarto inter Judæos supplicio Ordinario quod nomine קָמַח, strangulationis ipsis venit. Verum cum jam in descriptione combustionis, modus strangulationis sit expositus, operâ repetitionis superfedemus, illud heic inferentes, quod strangulati non sint suspensi, ut fures in patibulo. Interim si quis simul blasphemus fuit, id factum observabatur, solebat enim is post aliud supplicium in sublime rapi, hinc tamen non concludendum, quod diversum, & specie distinctum sit supplicium, utpote cum alterius supplicii tantum consequens fuerit. Ex recensione autem Philologorum his strangulationis subeunda fuit pœna. 1. qui patrem matremve pulsaverat. 2. qui animam ex Israele furatus fuerat. 3. Presbyter edicto senatus obnitens.

4. Meno

4. Mendax vates 5. qui vaticinatur in nomine Idoli. 6. qui cum alterius uxore concumbit. 7. qui filiam Sacerdotis falso detulit. 8. qui cum ea concumbit.

TH. IX.

Ceu supradictum erat, ordinaria supplicia apud Judæos non nisi quatuor fuisse recepta, ita quoque ea brevi rudiq; delineavimus Minerva: sed quoniam non desunt, qui numerum hunc suppliciorum augere satagunt, proinde non oberit paucis, nobis ad finem jam properaturis, illam etiam tangere controversiam. Ex illis autem qui plura volunt hæc esse supplicia sunt præsertim B. Erasmus Schmidius atq; Drusius. Schmidium in ea fuisse sententia testantur ipsa ipsius verba: *Cum alie gentes plumbeo vasi reos inditos demergerent, ut non tam aquarum vi, quam omni elemento indigni, aëris privatione perderentur: Palestini saxum collo alligabant & ita reum demergebant.* Quin imo Drusius, quod eidem iaverit sententiæ, non est quod quisquam dubitet, cum & ille *κατακλισησιν*,  
ad-

addat, ita ipsius verba sonant: *In consuetudine apud veteres Hebræos positum fuit, ut, qui crimen aliquod gravius commiserat; is, si deprehensus esset, in profundum saxo ingenti alligatus demergeretur.* Sed non tantum testimoniis hęc, sed dictis insuper N. fœderis, hęc confirmari posse videtur sententia; sic legimus Marci 9.42. ὁς ἂν σκανδαλίση ἓνα τῶν μικρῶν τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, καλόν ἐστιν ἂσπῶ μᾶλλον εἰ πεῖσειν λίθος μυλικὸς περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ ἢ βεβληθῆναι εἰς τὴν θάλασσαν. Sunt equidem hęc argumenta ponderosa atque gravia præprimis, anne vero ob ea, omnino hęc excipienda sententia, dubitare jubent placita Φιλολόγων modernorum, utpote expressè tradentium quatuor tantummodo supplicia apud Hebræos fuisse ordinaria. Proinde ut certi aliquid heic statui atque definiri possit, non rejicienda est distinctio suppliciorum, in ordinaria & extraordinaria, dicendumque omnino est, quod καταποσίσιμος, & si quæ alia fuerint, non debeat accenseri suppliciis ordinariis sed extraordinariis. *Lighthootus* qui-

quidem existimat Christum in loco ex Marco adducto, loqui de genere mortis forsitan nullibi, ne dum apud Hebræos usitato; sed quod cum honore celeberrimi Doctoris dictum esto, mirari subit, quod ambigat, num alicubi tale mortis usitatum sit genus. vid. Pfeiff. Erudimur satis superque, genus illud non plane fuisse inusitatum. Præterquam enim quod ex Suetonio claret, ministros Caji prædonis, oneratis gravi onere cervicibus, in flumen esse præcipitados; etiam ab ipso Clariss. Dn, *Henr. Kippingio*, hoc affirmatur, is enim à Syris, atque Græcis, Romanisque hujusmodi supplicium aliquando adhibitum concedit.

## TH: X.

Plura adhuc supplicia, utpote, dimembrationis his addita volunt nonnulli. Sed id quod *περὶ τῆς καταπονήσεως* diximus; de hoc quoque dicendum esse censemus: referendum scilicet esse ad extraordinaria; ut nihil dicamus de *crucis supplicio*, quod magnæ dignationis viri, non apud  
He-

Hebræos, sed Romanos aliosq; receptum testantur. Nunc ergo quemadmodum in pœnis capitalibus describendis, meum exercere mihi placuerat ingeniolum, in favorem B.L. me non puto peccaturum, si jam opellæ extremam impositurus manum, quæstionem hanc discussero Colophonis loco, an scilicet pœna capitalis licite infligi possit? huic problemati ut commode eatur obviam, præsciendum est, legem aliquam posse dici legitimam, vel respectu *juris natura*, vel *Positivi Divini*, adeo ut si quid illis congruat, mox quoque licitum sit, oporteat; sin vero à dictamine eorum deflectet, jam neque tolerabile dici queat. Quantum itaque attinet ad *jus natura*, putant quidam jus naturæ præcise quidem non dictitare pœnam capitalem de aliquo esse sumendam, sed à societate aliorum esse excludendos, quod non morte tantum, sed & vinculis, laboribusque fieri tam potest quam solet. Per bonam autem consequentiam perhibent alii, pœnam capitalem juri naturæ non esse contrariam

riam, quod vel ex Caino patet. Ex ejus enim sermone, quem proloqvutus erat, occiso fratre, facillime colligi potest, lumen naturale ipsi suggessisse ob tantum scelus, se morte fuisse dignissimum, quare etiam graviter sibi metuebat, ne â quocquam interficeretur, pro certo cum id habuerit, mortem fratris sui non nisi morte expiari posse. Quid autem de hac controversia omnino statuendum sit, nos maturiorum maturioribus enodandum committimus judiciis, eo contenti argumento satis sufficienti, ad explicandam quæstionem propositam, quod nobis pandectæ obferunt sacræ, clarissimis demonstrantes verbis maximum legis latorem, certis delictis certa supplicia accommodasse. Hæc sunt B. L. quæ rudis mea Minerva colligere in præsentî negotio potuit; proinde qua par est observantia te rogatum volo, ut ea quæ hic prætermissa, aut minus accurate posita conspicaris, candore solito interpretari velis.

SOLI DEO GLORIA.

Til Heri Respondenten,  
Ehreborne/ Siickelige och i Bockliga Konster  
Waldswadel/

CHRISTOPHER  
BONSTORFF/

Då han detta med flijt fattade Ar-  
bete om Capital- Straff i Högmåls  
Saker hoos de forna Hebreer  
i Luset brachte.

Swad helig Ebers ått i Sion fordom  
pröfwadt

I kraft af Herrans lag/ wed hwart  
Urbotemål/

Til skäligt Straff för dem/ som Ridings  
wäret föröfwadt/

Fast mycket ljetet fins i senre tiders  
Stähl

Inpreglat; Nu med flijt för lärda werl-  
den wijsar

Heri Bonstorffz siärtlikt taal: hoo är  
då som en wil/

Sig fågna af des wett/ det Baldur sielf-  
wer prijsar/

Och wäntar flere prof: Jag önskar  
Lycka til!

JAC. HILDEEN.

*Præstantissime Musisq̄, amicissime*  
 DN. CHRISTOPHORE  
 Bonstorff /  
 Patriota & amice honorande

Πλῆτ' Ἰσηϊσιν αἰὲς ἡμεροέστευς ὄσιν,  
 Αὐτ' ἔφει καίπερ ἔη πολλάκις ἀφροσύνη.  
 Οὐδαμὰ γὰρ βεβλαμμενὸν ἐν' ἐσθλοῖο νόοιο,  
 ὃς κακοκερδείης ἔχ' ἔπει' ἔλομένης,  
 ὃς τε πῶδαιῶσ' σοφίην θέλει ἀζιότιμον,  
 κ' ἄγλαὰ Μεσάων δῶρα ἰοσεφάνων.  
 Κῆρα φέρων πλῆτ' ἀπαῖτ' ἄνθρωπον ὡς ἀνθρῶπων,

οὕτω αἰὲς μόνιμ' ἢ σοφίη τελέθει.  
 Ἄρ' ἐπεὶ Bonstorff ἐφίλησας χρήματα,  
 τοῖνον

Εὐχολογῶ χάρεις καλὰς τε καὶ λιγέας,  
 καί σε σὺν αὐλίσκοισι λιγυφθόγγοις ἀσπίλαι,  
 ὧσπερ παμπόλων κείμενον ἐν σώμασι.  
 Συγχαίρων τείν' ἀλλὰ προσεσπίζω κ' ἐγὼ, ὅτ' ἂν  
 Λήσεις ἔτε, κλέ' ἔτε θανῶν ἀπολείς.

*bisce tibi gratulor*  
*L. Mq̄.*

E. CAJANUS, E.F.



Dn. Respondens

Amice incomparabilis.

**V**aria quamvis dentur exercitia, suis quæ nunquam frustrata sunt laudibus, nullum tamen majori videtur efferendū Encomio, quam exercitium literarū, nobile cum primis. Quamvis bello quoque clarum fieri & liceat & soleat; literis tamen quin potius clarescere deceat, non facile quisquam ibi inficias. Itis quippe vera acquiritur nobilitas: illa nobilitas illustrissima, duraturaque omnino erit diutissime eadem illa. Scilicet non reges modo antiquitus nobilitatis hujus fuisse affectas monumenta testantur vetusta, sed alios quoque, quos natura indole fecit erectiores, hoc in studio suam sectatos esse nobilitatem constat clarè satis. Cui ergo potius laudes vendicande, quam illi qui hoc sibi sacrum vult exercitium? Annè Thrasonibus istis deferende, qui nihil præter fastum, & quæ ei junctæ sunt gratiæ in deliciis habent? equidem, laudandum omnino eum est, Amice, propositum, quod huic tuum adplicueris animum exercitio. Fiet aliquando, ut suavis industria fructus excipias amplexibus. Vale

Amicitia ergo gratulabundus scripsit

GUSTAVUS CAJANUS.

**L**egifer Moses veterisque Vates  
Seculi, Ebræos, ut amanda juris  
Atque Divinæ, docuit statuta  
singula, legis:

Sic reos semper rigidosque sanctæ  
Legis osores, pia gens severe  
Pressit, & Pœnis solitis iniquè  
facta revisit.

Hæc pœnarum facies, labore  
Cum, Tuo docto, manifestiores  
Is datum doctis, bene amice **Bonstorff**  
Id meditaris,

Gaudium summum simul hoc parentum  
Pectori fundis, meritasque laudes  
Ipse doctrinæ properas referre.  
Perge valere!

*Hicce affectum suum erga Dn. Resp. amicū  
& commitem, inde à pueritia fidelis-  
simum, exprimere voluit ut potuit*

**HENRICUS LYRA.**

*Pereximio*

DN<sup>o</sup> CHRISTOPHORO  
Bonstorff/

Amico singulariter colendo, Disserta-  
tionem de Pœnis Hebræorum capi-  
talibus ord. edituro.

**E**n! Specimen laudis, quod masculu-  
lus indolis ardor  
Protulit, & virtus nobilitanda  
diis.

*Sic applaudere voluit*

JOHANNES Bijlkar.



1741

DR. CHRISTOPHER

WATSON

AMERICAN SURGEON GENERAL  
HONORARY MEMBER OF THE  
ROYAL SOCIETY OF LONDON  
LONDON 1741

THE SPECIMEN SHEET  
FOR THE  
PROCEEDINGS OF THE  
ROYAL SOCIETY

JOHN WATSON  
1741

